



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quarè Christus post Resurrectionem tam saepè salutatur Apostolos pace,
& optat illis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

sæpè dicit, timore Christi, charitate Christi, &c. Hoc vult, quòd Deus Christus ppter semetipsum diligatur & timeatur potiùs, quàm propter cœlum aut infernum, vt ipse nobis plus sit quàm eius dona.

CAPVT XXVI.
ARGVMENTA.

1. *Quare Christus post resurrectionem tam sæpe salutatur Apostolos pace, & optat illis.*
2. *Quibus modis & vijs Christus sit pax nostra, quando in pressura mundi viuimus.*
3. *Quòd hæc pax conscientie ad carnem non est trahenda.*

Requens fuit in ore Christi hæc salutatio, Pax vobis, id quod patet Ioã 20. Nã quisq; artifex lubens loquitur de opere suo facto: & quoniam Christus opere passionis suæ & natiuitatis impetrauit toti mundo pacem, ideò de illa loquitur, & illa salutatur Apostolos. Facit autem hoc ideò, vt nunc distribuat illam quàm antea impetrauit. Verbo autẽ illo distribuit pacem, & fides quæ credit verbo, apprehendit. Nã dona Christi non propterea mea sunt, quia impetrata sunt: hac enim ratione essent & Turcarũ & Sathanæ: sed quia verbo mihi distribuitur, & à me Fide acceptatur, id est, dum credo quia hoc sic est, quòd Christus mihi veram pacem corã Deo impetrauit: Si sic credidero, donum oblatum recipio, & ero & sum particeps: sin incredulus fuero, donum respuo, & nil mihi proderit. Sic maiori parti mundi non proderit Christus, eò quòd non credunt illius mortem esse vitam nostram & pacẽ. i. Cor. i. Nos prædicamus Christum crucifixum, &c. vocatis sanctis, Dei virtutem: Ideò tam maximè vrgent Euangelistæ & præ omnibus exigunt Fidem in Christum ppter distributionẽ. Distribuit

tribuit ergo Christus nobis omnibus cum Apostolis suam conquistam pacem, in verbo illo, Pax vobis, Modò & nos credamus, & illam acceptemus.

I.

Christus est nobis pax contra tria, scilicet legem Moysis, peccatum, & mundum: in his tribus conscientia, conscientia dico, habet pacem propter Christum. Primò, inquit Apostolus ad Eph. 2. Ipse Christus est pax nostra, scilicet contra legem & Moysen. Lex enim urget & angit conscientiam, terret & exigit obseruantiam præceptorum vtriusque tabule, & maledicit ac dam-

Exod. 20.

Deut. 27.

mnat omnes transgressores, quò fit, vt conscientia angustiatur & damnetur per legem, quam nunquam seruauit, occiditur, & in bello relinquitur per legem conscientia: nam quis perfectè impleuit legem? Contra hanc damnationem legis, Christus est pax nostra conscientia, qui dicit, Noli desperare, sed pœnite & crede in me, Ego sum, qui Pro peccatis tuis mortuus sum. Ego perfectè & ex toto corde seruauit legem. Crede in me, & propter me imputaberis à Deo tanquam iustus, ac si legem obseruasses: non ergo resurrexi propter iustificationem tuam imputatiuam in accusatione Moysis & legis. Is est spiritus, quoniam viuificat conscientiam quam lex occidit, 2. Cor. 3. Et sic Christus à damnatione legis liberat, & conscientiam quietat: non quidè, ne fiat lex, immò maximè exigitur à iustificatis: verū Spiritus. S. adiutoriū secum confert. Si vis ad vitā ingredi serua mandata. Dilectio propter acceptum beneficium Christi seruat legem.

Matt. 19.

I I.

Christus pax est conscientia contra pressuram mundi: varia tormenta Martyrum, confessorum & fidelium legimus à Tyrannis illata, quæ cū gaudio sancti fideles pertulerunt læti & pacifici in conscientia, in-
tus habentes cōsolationē & spem futuri gaudij, quod Christus impetrauit, id est, regnum cœlorum: idè momentaneam pœnam, vel diuitias, vel honores, nõ curarūt. Nisi enim hanc Christi pacē in corde habuissent,